INDEX SCHOLARVM

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICIANA
HALENSI CVM VITEBERGENSI CONSOCIATA

PER AESTATEM

ANNI MDCCCLXXV

A DIE XII. M. APRILIS AD DIEM XIV. M. AVGVSTI

PVBLICE PRIVATIMQVE

HABENDARVM.

INEST

HENRICI KEILII QVAESTIONVM GRAMMATICARVM P. IV.

HALAE.

FORMIS HENDELIIS.

Digitized by the Internet Archive
in 2017 with funding from
University of Illinois Urbana-Champaign Alternates

https://archive.org/details/indexscholarumin00keil

12 Ja 12

VNIVERSITATIS FRIDERICIANAE

RECTOR

HERMANNVS FITTING

CVM SENATV

S. D.

CIVIBVS SVIS.

I.

Audacis librum de arte grammatica adhuc non editum in scriptionibus quibusdam, quibus orationes adulescentium propter beneficia ex Vitebergensi universitate olim in hanc nostram translata quotannis habendae publice apud nos indici solent, ex duobus codicibus, Bernensi et Monacensi, nuper edere coepi. tardius tamen quam volueram editio processit, postquam communi universitatis nostrae commodo servientes instituimus ut commentariis ei rei destinatis praeterea brevis enarratio rerum maxime memorabilium, quae uno quoque anno in nostra universitate gestae essent, adderetur. propter quod institutum cum ea quae hac occasione oblata ex Audacis libro edebantur necessario ad breve spatium revocanda essent, quandoquidem huiusmodi prolusiones iure testamentorum certis finibus, quos egredi non licet, circumscriptae sunt, in tertium annum res tracta needum ad finem perducta est. quamquam autem in opere suscepto postea pergemus et reliquam libri partem mox, ut speramus, addemus, tamen ut nunc pauca ex ea delibaremus nos movit disputatio Conradi Bursiani de arte grammatica Bonifatii in nuntiis academiae Monacensis (Sitzungsber. d. philos.-philol. u. hist. Classe d. K. b. Akad. d. Wiss. 1873 p. 457) nuper edita. nam quoniam Bonifatii liber, quem Maius class. auct. v. VII p. 475 sqq. edidit, ad studia linguae latinae inter Germanos promovenda olim multum valebat, ad persequendam illorum studiorum memoriam pertinere videbatur, ut quibus auctoribus ille in eo libro scribendo usus esset intellegeretur. et plurima quidem Bursianus descriptione universi libri proposita suis auctoribus tribuit, pauca tamen, quorum memoria in editis veterum grammaticorum libris non extat, reliquit, quamquam ea ex antiquiore fonte derivata esse apparebat. itaque cum haec ex ea parte libri Audacis, quae nondum edita est, petita esse viderem, ea quae huc pertinent interim, dum cetera ederentur, hoc loco exhibere constitui.

A Bonifatio enim in extrema libri parte p. 545 sq. de praepositionibus quaedam praecepta et adscriptis veterum scriptorum exemplis confirmata sunt, quae non a Donato Charisio Diomede, quibus pleraque debuit, petita esse, sed cum institutis artium Probi quae feruntur fre consentire Bursianus animadvertit, additis tamen nonnullis, quae neque apud Probum

p31719

neque apud alium quemquam ex veteribus grammaticis inveniuntur. nam et fragmentum Sallustii a Probo p. 149, 4 citatum, *item apud Sallustium 'Antonius paucis ante diebus'*, paullo uberius exhibuit Bonifatius, et in disputatione de significatione praepositionis *super* saepe a grammaticis tractata Plinii Secundi nomen ab aliis non commemoratum adscripsit. a Maio autem haec edita sunt ita, p. 544 *Generaliter autem et canonice praepositiones gentibus et nationibus adduntur, civitatibus adimuntur, et domo, et ruri eundi, manendi, redeundi; ut rus eo, ruri sum, ruri venio; ut Maro Aeneae stetit ante pedes: at vero quando non cum casu suo, et tamen acuto accentu proferuntur, adverbia esse iudicantur; ut Salustius: Antonius paucis ante diebus scripsit ex urbe: quae quando non cum casu suo acuto accentu inveniuntur, non iam sunt praepositiones, sed id quod significant appellantur.* p. 546 *Item super praepositio iuxta Plinium Secundum ex tribus praepositionibus, idest supra, de, in, habet significationem, ut puta: Maró sua sedens super arma, idest supra. Item de: multa super Priamo rogitans, super Hectore multa, hoc est de Priamo, et de Hectore. Item in: gemina super arbore sidunt, idest in arbore. Item fronde super viridi, hoc est in viridi.* utriusque igitur loci fontem non apud Probum, sed apud Audacem quaerendum esse dico. eius enim haec sunt verba, quae ex codice Bernensi descripta (nam in Monacensi haec non leguntur) exhibui. in adnotatione subiecta discrepantiam codicis, ubi ab illius scriptura recedendum erat, indicavi.

Praepositionibus quot accentus accidunt? Tres, productus, pressus et acutus, quos conpetentibus praepositionibus adnotabimus. at vero ceteras praepositiones praetermittimus, quoniam naturales, id est simplices, accentus habere reperiuntur. sunt praepositiones quae aliis partibus orationis respondeant; sed hae intellectu discernuntur, ut puta ante, quando praepositio et quando adverbium esse dinoscitur. quare hoc monemus, quod, quando ante *cum* casu suo et presso accentu pronuntiatur, praepositio nuncupatur, ut apud Virgilium (*Aen. V*, 381) 'Aeneae stetit ante pedes' et cetera talia. at vero quando ante non cum casu suo et cum acuto accentu profertur, adverbium iudicatur, ut apud Virgilium (*Aen. III*, 384)

ante et Trinacria lentandus remus in unda

et apud Sallustium 'Antonius paucis ante diebus erupit ex urbe'. item apud Virgilium (*Aen. IV*, 327)

saltem siqua mihi de te suscepta fuisset
ante fugam suboles.

sic et aliae praepositiones quae neque cum casu suo *et cum* acuto accentu inveniuntur, iam non praepositiones, sed hoc quod significant appellantur.

Deinde de praepositionibus nominibus civitatium additis et de praepositione *super*:

Praepositiones huius artis lator (*Prob. p.* 150,18) non necessario dicit nominibus civitatium adiungi, ut puta 'Romam venio', 'Carthaginem eo' et cetera talia.

2 adnotauimus premittimus quoniam morales 3 sunt praepositiones quecumque his partibus 4 sed haec 5 disnoscitur 6 ante casu suo et praesu accentu pronuntiantur 7 aenestetit 8 et tamen acuto 10 trinatria 13 suspecta 15 neque cum casu suo accuto acoitu inueniuntur 16 sed hoc] sedici 2 et ceteralia

sed hoc plurimi auctores contemnendum existimaverunt, ut apud Sallustium *(Iug. 75, 6)* 'Marius ad Talam profectus'; item idem 'nam tum Brutus ab Roma aberat'. sic et cetera talia. super praepositionem Plinius Secundus ex his tribus praepositionibus, id est supra de in, vult habere significationem, ut puta supra, 'saeva sedens super arma' *(Verg. Aen. I, 295)*, item 'socii exanimem super arma ferebant' *(Verg. Aen. X, 841)*, id est supra: de, *(Verg. Aen. I, 750)*

multa super Priamo rogitans, super Hectore multa,

id est de Priamo et de Hectore; item in Iugurthino bello *(c. 71, 5)* 'ne super tali scelere suspectum se haberet', id est de tali scelere: in, 'gemina super arbore sidunt' *(Verg. Aen. VI, 203)*, id est in arbore, item 'fronde super viridi' *(Verg. bucol. I, 81)*, hoc est in viridi fronde.

Iam vero cum Probo quae ratio grammaticis intercedat, facile perspicitur. nimirum ex illius libro excerpta posuerat Audax, quibus deinde Bonifatius usus est. nam ut Audax primam libri partem ex duobus Victorini libris de arte grammatica et de hexametro expressit, de quo dixi grammat. lat. v. VI p. XXIV, ita in ultima parte de tribus partibus orationis, de coniunctione, de praepositione, de interiectione, fere omnia ex Probi institutis artium petivit. atque ut Victorini libellos rectius dispositos et nonnullis locis uberiores quam nunc feruntur habebat, quaedam vero etiam ab aliis auctoribus sumpta interposuit, ita in excerptis Probi quaedam addita sunt, quae in iis codicibus quibus nunc utimur non inveniuntur.

Ceterum libro Audacis ii qui sub finem septimi saeculi de arte grammatica scripserunt saepius usi sunt. nam Iulianus Toletanus in arte grammatica Romae a. 1797 edita, ex qua nonnulla excerpta posui gramm. lat. v. V p. 313 sqq., nomen eius bis appellavit l. c. p. 317 *unde Audax 'definitio quid est? oratio quae id de quo quaeritur aperte describit et determinat'* etc., p. 318 *ut puta si dicas mihi 'quid scit Audax?', dico 'grammaticus est'*, et quaedam de litteris et de pedibus et de metris ex eius libro recepit. deinde Beda de metr. p. 2363 adscripto nomine grammatici posuit haec, quae sub finem libri in recapitulatione de accentibus leguntur, *item interiectiones omnes, ut Audacius ait, quia de graeco sermone mutuati sumus, ideo in novissimis syllabis fastigium capiunt*, *ut papae attat. eodem modo et ceterae similiter vel acutum vel circumflexum in ultima sumunt accentum*: cf. Hagen. anecd. Bern. p. CXCVII. et in iis quae idem Beda de scansionibus scripsit p. 2368 et de communi syllaba p. 2375 et de rhythmo p. 2380 Audacis libro, non Victorini commentario usus est. non nominato autem auctore Aldhelmus de re gramm. et metr. class. auct. ed. Mai v. V p. 522 commentarium de hexametro et de caesuris ex hoc libro recepit.

4 ad Talam] ad talia 5 et cetera alia Plinius] plenius 6 seua sedens super arma ferebant id est supra *et in margine post* arma *antiqua manu* id est supra item socii exanimē super arma 11 scelere *posteriore loco om.* 12 sedunt 13 in viridi fronde] in uiride

---

II.

In codice Monacensi 6411, olim Frisingensi 211, legitur brevis commentarius de coniugationibus graecorum verborum ex commento in Eutychis artem, quod Hagenus anecd. Bern. p. 1 sqq. Sedulii nomine inscriptum edidit, excerptus. scripta autem sunt illa in eo codice

post Eutychis artem et aliorum grammaticorum libellos in membrana a reliquis codicis membranis diversa f. 42 saeculo, ut mihi visum est, undecimo vel decimo. sed etiamsi cum libris ab Hageno adhibitis Frisingensis codicis scriptura fere consentit, tamen quaedam rectius et uberius scripta sunt in hoc. maxime vero memorabile est illud, quod in eo subscriptum est nomen Theodosii Macrobii. sequuntur deinde f. 43 alia manu scriptae glossae ad Eutychis librum, ut videtur, pertinentes, *glisco cresco, geo mensuro, repudium abscidium.* iam de Macrobii nomine quamquam dubitari potest, utrum illud ad ea quibus subscriptum est referendum sit, an ad sententiam Macrobii olim huic disputationi subiectam, deinde omissam (cf. gramm. lat. v. V. p. 630), pertinere voluerit grammaticus, tamen illud constat, eum qui haec composuit Macrobii libro de verbo graeco et latino, ex quo varia excerpta ferebantur, usum esse, idque significaverat Hagenus p. 4,12. praeter Macrobium autem de graecis verbis inferioris aetatis grammatici in primis Priscianum secuti sunt, quocum quaedam in hoc quoque commentario consentiunt, sicut indicavit Hagenus praef. p. LXXIV. itaque quoniam ad cognoscenda illius aetatis studia et ad scientiam vel potius imperitiam graecae linguae, quae tum fuit, recte aestimandam non inutilia esse haec visa sunt, hoc loco ex Frisingensi codice ea edidi servata, quantum fieri poterat, codicis lectione. exempla graecorum verborum in codice valde corrupta partim Macrobium vel Priscianum secutus, partim coniectura usus restitui, in quo quaedam Hageni editio subministravit. de tertia specie verborum, quae oxytona esse grammaticus voluit, aliis quaerendum relinquo. nam quae ea de re in fine huius commentarii leguntur non minus corrupta sunt, quam quae ab aliis grammaticis memoriae prodita sunt. in iis locis, in quibus codicis scripturam correxi, discrepantia in margine indicata est.

Graecorum verborum species sunt III, in quibus tenores discretionem faciunt. prima species bargitonos dicitur. bargitonos autem conpositum nomen ex tribus corruptis, id est barginos, quod interpretatur carens, tonos, quod interpretatur tenor, enosotoro, quod interpretatur ultima, id est carens accentu in fine, quia Graeci solent accentus habere in fine, nisi in paucis. bargitonos species VI coniugationum ordinem habet ex consonantibus ante ο vel ω inventis. facit primam coniugationem prima consonans β et suae cognatae litterae π φ in praesenti tempore; in praeterito vero ψ habet ante α, ut est λείβω ἔλειψα, λείπω ἔλειψα ἀλείφω ἤλειψα. item secunda coniugatio ordinem accepit a secunda consonante cum suis cognatis litteris, id est γ κ χ, et per ξ praeteritum declinatur, ut est λέγω ἔλεξα, εἴκω εἶξα, τρύχω ἔτρυξα. tertia coniugatio est quae habet ante ο vel ω tertiam consonantem cum cognatis suis litteris duabus, id est δ τ ϑ, et praeteritum facit per σ, ut est ἐπᾴδω 'επῇσα, πλήθω ἔπλησα, ἐπανύτω ἐπήνυσα. quarta vero coniugatio profertur per ζ vel per duplicem σ et praeteritum per unam σ scribitur, ut est κλύζω, ἔκλυσα, ὀμόσσω ὤμοσα. quinta autem coniugatio per liquidas dinoscitur, id est λ μ ν ϱ, et per illas semper praeteritum profertur, nisi antecedat alia liquida eam liquidam. tunc enim finalem amit-

2 pargithonos autem   3 tonois quod interpretatur tenore noso toro   5 Bargithonos   8 ut
ΟΦΟ
ΕΛΙΒΟ ΕΛΙΨΑ ΟΠΟ ΟΨΑ ΟΨΑ item   10 ut *ΕΛΕΓΟ ΕΛΕΞΑ ΟΠΩ ΟΞΑ ΕΡΥΧΟ ΕΡΥΞΑ*
12 fatiunt per Σ   12 ut est *ΟΝΟΥΛΩ ΟΝΟΥΣΑ ΕΛΙΘΟ ΕΛΙΣΑ ΕΠΥΝΙΤΩ ΕΠΥΝΙΣΑ*
13 duplicam   14 per *I.* Σ scribitur ut *ΕΛΙΖΟ ΕΛΙΣΑ ΟΜΟΣΣΟ ΩΜΟΣΑ*

tit semper posteriorem liquidam, ut est *νέμω ἔνειμα, τείνω ἔτεινα, σπείρω ἔσπειρα.* sexta coniugatio profertur per vocales *ι υ ε* et per consonantes *ξ* et *ψ.* et si vocales fuerint ante *ω*, per *σ* praeteritum faciet, ut *ὀπνίω ὤπνισα, λούω ἔλουσα.* si autem consonantes antecedant, aliquando per eas, aliquando per vocales transitivas praeteritum profertur. ut *ἕψω ἥψησα, ἀλέξω ἠλέξησα.* alii voluerunt istam sextam in duas dividere coniugationes, ut esset sexta quae habet vocales ante *ω*; quae vero consonantes habet ante *ω*, septimam fieri voluerunt. sed qui docti fuerunt, iunxerunt in unam propter consimile praeteritum, et quia in fine tenore caret.

Secunda species dicitur *περισπωμένη*, id est circumflexibilis, quia circumflexum habet in fine, quia ultima natura longa est. haec species tres coniugationes habet et consonantes omnes ante *ω* finalem habet et ex vocalibus secundae personae dinoscitur. prima in *εις* diphthongon desinit, et praeteritum per *σ* profertur, ut est *πωλῶ πωλεῖς ἐπώλησα.* secunda in *αις* diphthongon desinit vel in *ᾳς* et in *σα* in praeterito, ut *τρυφάω τρυφαῖς ἐτρύφησα.* tertia in *οις* diphthongon vel in *ῳς* productam per synaeresin desinit, ut *ἡμερῶ ἡμεροῖς* vel *ἡμερῷς*, et eandem consonantem servat in praeterito, ut *ἥμερα.* et in his verbis i littera non praeiudicat, sed est infirma.

Tertia species EPICEIC dicitur, id est acualis, quia acutum habet in ultima, et ultima natura longa est, et in secunda persona cognoscitur per *υ* vocalem cum consonante. tres consonantes habet ante *ω*, *Ρ Σ Φ* et *Ι* pro consonante in paucis. si consonantes ante *ω* habuerit, praeteritum per *σ* profertur, ut *ΟΜΟΡΩ ΟΜΟΡΩΣ ΟΜΟΣΑ*; si vero i pro consonante, praeteritum fit per digamma, ut *ΑΙΩ ΑΙΑΣ ΑΙϜΑ.*

Theodosius Macrobius.

17 liquidam *ΓΝΟΜΟ ΓΝΟΜΑ ΕΛΝΟ ΕΛΑ ΕΡΝΟ ΕΡΑ* 18 per uocales *ΛΥΕ* et per consonantes *Ζ Ψ Φ Λ* et si uocales fuerint ante *Ο* per *Ξ* praeteritum ut *ΟΡΙΟ ΟΡΙΞΑ ΕΛΟΥΟ ΕΛΟΥΞΑ* 21 ut *ΕΞΟ ΕΞΑ ΟΡΙΞΟ ΟΡΙΞΑ* 22 ante *Ο*, *item* 23 *et* 27 ῀ 24 consimilem 28 ut *ΕΡΟΛΟ ΕΠΟΛΕΙΣ ΕΡΟΛΕΣΑ* 29 et in ᴗ in praeterito ut *ΤΡΟΣΟ ΤΡΟΣΑΙΣ ΤΡΟΣΑ* 30 in *ΟΣ* productam per *ΣΙΝΣΡΙΣΙΝ* desinit ut *ΕΜΕΡΟ ΕΜΟΡΟΙΣ* (*E* supra) uel *ΕΜΕΡΟΣ* 32 ut *ΕΜΕΡΑ* 36 *ΟΜΟΡΟΙΣ* (*Ω* supra)

III.

Memorabile interpolationis exemplum, quod diu viros doctos fefellit, est in Catulli versibus apud Terentianum Maurum v. 2752 sqq. qui versus in principe editione et in veteribus exemplaribus ex illa expressis ita editi erant,

ipse enim sonus indicat esse hoc lusibus aptum,
et ferme modus hic datur a plerisque Priapo.
inter quos cecinit quoque carmen tale Catullus,
hunc lucum tibi dedico consecroque, Priape,
qua domus tua Lampsaci est quaque, Priape:
nam te praecipue in suis urbibus colit ora
Hellespontia ceteris ostriosior oris.

deinde Nicolaus Brissaeus, qui Terentianum a. 1531 edidit et multa, quae in prioribus exemplaribus vel corrupta erant vel corrupta esse videbantur, summa licentia usus mutavit,

secundum e Catulli versibus, ut defectum metri aliquo modo suppleret, uno verbo auctum exhibuit, *qua domus tua Lampsaci sita est quaque Priape.* eius editione usus est Scaliger, cum in Priapeis in Vergilii appendice a. 1573 primum editis p. 85 ed. Plantin. a. 1595 Catulli fragmentum poneret et versum de quo dicimus hoc modo correctum daret, *qua domus tua Lampsaci est, quaque silva Priape.* quae scriptura postea, cum nesciretur, quae esset fides editionum Terentiani, et in Catulli carmine vulgo probata et in editionem Terentiani a Santenio recepta est. atque etiam nuper Lucianus Muellerus in Catulli fragmentis p. 73 versum verissime a Scaligero suppletum esse iudicavit, postquam compertum erat, quam incerto fundamento illud supplementum niteretur. neque enim dubitari potest quin ea versus scriptura, a qua Scaligeri coniectura profecta erat, interpolationi Brissaei debeatur, quamvis olim Dukerus in Burmann. anthol. v. II. p. 575 eam scripturam Terentiano vindicare studuerit. prudenter igitur Lachmannus apud Terentianum principis editionis lectionem, a qua sola emendatio proficisci deberet, restituit. sed emendatio quam ipse proposuit, ut *erit* pro *est* substituto scriberetur *qua domus tua Lampsaci erit quaque Priape*, vix cuiquam placebit. nam nec sententia verborum apte procedit, nec numeros versus, in quo *Lampsaci* ultima syllaba correpta dici et in initio posterioris commatis iambum poni Lachmannus voluit, puto defendi posse. itaque ut et sententiae et metro satisfieret, addito ante *quaque* v. *usque* non dubitavi scribere

qua domus tua Lampsaci est usque quaque, Priape.

Alio loco ipsius principis editionis lectio non fugit suspicionem interpolationis. nam de ordine litterarum mutarum in ea leguntur haec v. 182 sqq.

iam cetera non ordine quo solent loquemur,
rerum ut cuique est proximitas loci sonire
ne dicta prius me subigat referre rursum
vicinia vocum modico dirempta puncto.

eadem scriptura per reliquas Terentiani editiones propagata est, quamquam intellegi vix potest, quae *proximitas loci* dicatur in litteris similitudine soni inter se cognatis. aliam autem scripturam secutus est Marius Victorinus, qui Terentiani versus exprimens scripsit haec p. 33, 14, *Nunc de consonantibus, quae sibi vocis sonore atque ipsa oris expressione sunt proximae, ut sese obtulerint, enarrabimus.* contra apud Priscianum l. XIII, p. 10,25 in libris manu scriptis verba ita corrupta sunt, *'cui' quoque Terentianus de litteris Verum ut cuique est proximitas locis oriri.* eadem igitur vel similis corruptela in Bobiensi codice Terentiani fuisse videtur. emendatio autem verborum non a Mediolanensi editore, sed a Mario Victorino petenda fuit,

verum ut cuique est proximitas sonore vocis.

nam sic potius scribendum, quam sicut in editione expressum est *vocis sonore.*

I. Scholae Theologorum.

a. Professorum ordinariorum.

F. AUGUSTUS THOLUCK, Dr.

I. Privatim *evangelium Ioannis* interpretabitur sexies p. hebd. h. X-XI.

II. In seminario regio theologico *classem exegeticam Novi Testamenti* moderari perget.

IULIUS MUELLER, Dr.

Privatim *theologiam symbolicam* quinquies p. hebd. h. XII-I docebit.

IUSTUS LUDOVICUS IACOBI, Dr.

I. Publice *historiam evangelii media aetate propagati* enarrabit d. Sat. h. XII-I.

II. Privatim *historiae ecclesiae universalis partem alteram* tradet sexies p. hebd. h. XI-XII.

III. In seminario regio theologico *exercitationes historicas* moderari perget.

CONSTANTINUS SCHLOTTMANN, Dr. Decanus.

I. Publice *Hebraeorum historiam* tradet d. Lun. et Iov. h. VIII-IX.

II. Privatim *Psalmos* interpretabitur quinquies p. hebd. h. IX-X.

III. In seminario regio theologico *exercitationes exegeticas Veteris Testamenti* moderari perget.

Praeterea eiusdem sodalibus qui ad *epigraphicen semiticam* incumbere cupiunt inscriptiones interpretandas h. def. proponet.

IULIUS KOESTLIN, Dr.

I. Publice de *religione, revelatione et sacra scriptura* doctrinam (prolegomena in theologiam dogmaticam) exponet d. Merc. h. VII-VIII. et Sat. h. X-XI.

II. Privatim 1) *theologiam biblicam Novi Testamenti* tradet quinquies p. hebd. h. VII-VIII.
2) *theologiam dogmaticam* exponet sexies p. hebd. h. VIII-IX.

III. Privatissime et gratis *exercitationes seminarii ad theologiam systematicam pertinentes* moderari perget d. Ven. h. VI.

WILIBALDUS BEYSCHLAG, Dr.

I. Publice *vitam Pauli apostoli* enarrabit d. Merc. h. XII-I.

II. Privatim 1) *epistolam Pauli ad Romanos* interpretabitur quinquies p. hebd. h. X-XI.
2) *theologiae practicae partem priorem* tradet quinquies p. hebd. h. VII-VIII.

III. In seminario regio theologico *exercitationes catecheticas* moderabitur.

EDUARDUS CAROLUS AUGUSTUS RIEHM, Dr.

I. Publice *geographiam Palaestinae* docebit d. Merc. h. III-IV.

II. Privatim 1) *Iobeida* interpretabitur quater p. hebd. h. IV-V. 2) *archaeologiam seu antiquitates Hebraeorum* tradet quater p. hebd. h. III-IV.

III. Privatissime et gratis *societatis Veteris Testamenti studia colentis* exercitationes moderari perget h. def.

ALBRECHTUS WOLTERS, Dr.

I. Publice ex instituto Lenziano *epistolam Pauli ad Corinthios alteram* interpretabitur d. Lun. Mart. Iov. h. XII-I.

II. Privatim 1) *epistolam Pauli ad Corinthios priorem* interpretabitur quater p. hebd. h. VIII-IX. 2) *legem, qua anno priore ecclesia evangelica apud nos presbyteriis et synodis instructa est,* explicabit d. Merc. et Sat. h. VIII-IX.

III. In seminario regio theologico *exercitationes homileticas* moderabitur.

b. Professorum extraordinariorum.

HENR. ERN. FERD. GUERICKE, Dr.

I. Publice *cosmologiam et anthropologiam christianam* dogmatice exponet d. Merc. et Sat. h. VIII-IX.

II. Privatim *introductionem in libros Novi Testamenti* tradet quater p. hebd. h. VIII-IX.

C. CHR. LEBER. FRANKE, Dr.

Scholas non habebit.

AUG. FERD. DAEHNE, Dr.

I. Publice *epistolam Iacobi* latino sermone interpretabitur d. Lun. et Iov. h. VII-VIII.

II. Privatim *historiam dogmatum Christianorum* narrabit quotidie h. XI-XII.

GUSTAVUS KRAMER, theol. et phil. Dr.

I. Privatim *paedagogicam universalem* docebit d. Mart. et Ven. h. V-VI.

II. In seminario regio theologico *exercitationes paedagogicas* moderari perget.

MARTINUS KAEHLER, Lic. theol.

I. Publice *historiam ethices* adumbrabit d. Merc. et Sat. h. IX-X.

II. Privatim *theologiam ethicam* tradet quotidie h. VIII-IX.

THEODORUS BRIEGER, Lic. theol. et Dr. phil.

I. Publice *introductionem in historiam ecclesiasticam* sive lineamenta artis historiae ecclesiasticae scribendae tradet d. Sat. h. XII-I.

II. Privatim *historiae ecclesiasticae universalis partem primam* enarrabit sexies p. hebd. h. XI-XII.

c. Licentiatorum privatim docentium.

MAXIMILIANUS BESSER, Lic. theol.

Privatim *encyclopaediam theologicam* tradet d. Mart. et Ven. h. VIII-IX.

GUILELMUS HERRMANN, Lic. theol.

Gratis *historiam christologiae imprimis recentioris aevi* tractabit bis per hebd. h. def.

II. Scholae Iurisconsultorum.

a. Professorum ordinariorum.

CAROLUS WITTE, Dr.

I. Publice in seminario iuridico *tituli Digestorum de usuris interpretationem* moderabitur semel p. hebd. h. defin.

II. Privatim 1) *historiam iuris Romani* enarrabit quotidie praeter d. Mart. h. XII-I. 2) *ius commune Borussicum* docebit quotidie h. matut. VII-VIII.

HERMANNUS FITTING, Dr. RECTOR.

I. Publice *praecepta iuris Romani de ordine iudiciorum privatorum* tradet d. Sat. h. X-XI.

II. Privatim 1) *institutiones iuris Romani* docebit quotidie h. IX-X. 2) *processum civilem communem ratione habita processus Borussici* exponet quotidie h. VIII-IX.

ERNESTUS MEIER, Dr.

I. Publice *de constitutione imperii Germanici* d. Sat. h. XII-I disseret.

II. Privatim tractabit 1) *ius publicum cum Germanicum tum Borussicum* d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. XII-I. 2) *ius gentium* d. Merc. et Sat. h. XI-XII.

ERNESTUS ECK, Dr.

I. Publice *selectos Digestorum locos* interpretabitur d. Merc. h. XII-I.

II. Privatim 1) *ius Pandectarum* docebit quotidie h. VIII-X. 2) in seminario iuridico *practicas iuris civilis exercitationes* instituet d. Lun. h. V-VII.

ADOLPHUS DOCHOW, Dr. Decanus.

I. Publice in seminario iuridico *exercitationes iuris criminalis* moderabitur d. Ven. h. IV-V.

II. Privatim docebit 1) *processum criminalem* d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. X-XI. 2) *ius agrarium* ter p. hebd. h. def.

ALFREDUS BORETIUS, Dr.

I. Publice *speculum Saxonicum* interpretabitur d. Merc. h. XI-XII.

II. Privatim docebit 1) *historiam imperii et iuris Germanici* quinis p. hebd. scholis h. XII-I. 2) *ius commerciale, maritimum et cambiale* quaternis p. hebd. scholis h. XI-XII.

b. Professoris extraordinarii.

GUSTAVUS LASTIG, Dr.

I. Publice in seminario iuridico *practicas iuris Germanici privati commercialisque exercitationes* moderabitur d. Merc. h. X-XI.

II. Privatim *ius Germanicum privatum* docebit quotidie praeter d. Sat. h. IX-X.

III. Scholae Medicorum.

a. Professorum ordinariorum.

ERNESTUS BLASIUS, Dr.

I. Publice *chirurgiam vulnerum specialem* tradet d. Sat. h. VII-VIII.

II. Privatim *de morbis vasorum et nervorum chirurgicis* disseret ter p. hebd. h. def.

ALFREDUS GUIL. VOLKMANN, Dr.

Publice *anatomiam nervorum* docebit d. Mart. et Ven. h. XI-XII.

IULIUS VOGEL, Dr.

I. Publice *historiam medicinae* exponet d. Merc. h. V-VI.

II. Privatim *introductionem in medicinae studium* tradet d. Iov. et Ven. h. V-VI.

LUDOVICUS KRAHMER, Dr.

I. Publice *balneologiam* tradet d. Mart. et Iov. h. IX-X.

II. Privatim *pharmacologiam* docebit sexies p. hebd. h. VIII-IX.

THEODORUS WEBER, Dr.

I. Publice *exercitationibus clinicis ambulatoriis* praeerit quotidie h. XII½-I½.

II. Privatim 1) *scholas clinicas* habebit quotidie h. XI½-XII½. 2) *scholas policlinicas* habebit quotidie h. def.

ROBERTUS OLSHAUSEN, Dr.

I. Publice *pathologiam graviditatis* tractabit d. Merc. h. IV-V.

II. Privatim 1) *scholas gynaecologicas* moderari perget quotidie h. IX. 2) *operationes obstetricias* phantomate in usum adhibito una cum doctore Fritsch docebit d. Mart. Merc. Ven. h. VIII-IX.

THEODORUS ACKERMANN, Dr.

I. Publice *anatomiam pathologicam hepatis* tractabit d. Sat. h. III-IV.

II. Privatim 1) *anatomiam pathologicam specialem* docebit d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. III-IV. 2) *exercitationes et demonstrationes pathologico-anatomicas* moderari perget quotidie h. IV-VI.

HERMANNUS WELCKER, Dr.

I. Publice *osteologiam et syndesmologiam* docebit d. Iov. h. XII-I.

II. Privatim 1) *histologiam et exercitationes microscopicas* tractabit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. X-XI. 2) *generationem et historiam evolutionis corporis humani* docebit d. Mart. et Ven. h. III-IV.

RICARDUS VOLKMANN, Dr.

I. Publice *anatomiam et chirurgiam neoplasmatum* tractabit d. Merc. et Sat. h. def.

II. Privatim 1) *operationibus chirurgicis in cadaveribus humanis instituendis* praeerit h. mat. VI-VIII. 2) *exercitationibus clinicis chirurgicis* praeesse perget h. X-XII.

IULIUS BERNSTEIN, Dr.

I. Publice *physicen* in usum medicorum docebit d. Sat. h. VII-VIII.

II. Privatim 1) *physiologiae partem de process. animal.* docebit d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. VII-VIII. 2) *exercitationes physiologicas* habebit bis p. hebd. h. IV-VI.

ALFREDUS GRAEFE, Dr.

I. Publice *de oculorum motus theoria* disseret d. Merc. h. IV-V.

II. Privatim *exercitationibus clinicis ophthalmiatricis* praeerit d. Lun. et Iov. h. mat. VII-VIII $^{3}/_{4}$.

b. Professorum extraordinariorum.

HERMANNUS SCHWARTZE, Dr.

I. Publice *exercitationibus policlinicis ad aurium morbos curandos* institutis praeesse perget d. Merc. et Sat. h. III-V.

II. Privatim 1) de *aurium morbis* disseret cum exercitationibus clinicis d. Ven. h. III-V. 2) *exercitationes clinicas otologicas* moderabitur d. Mart. h. III-V.

OTTO NASSE, Dr.

I. Publice 1) *de physiologia sensuum* disseret d. Iov. et Ven. h. XII-I. 2) *capita selecta toxicologiae physiologicae* tractabit d. Lun. et Mart. h. XII-I.

II. Privatim *physiologiae experimentalis partem alteram* de processibus qui vegetativi dicuntur docebit d. Merc. et Sat. h. IX-XI.

HERMANNUS KOEHLER, Dr.

I. Publice *de venenis cordis motum sistentibus* disseret d. Merc. et Sat. h. IX-X.

II. Privatim *pharmacologiam* tractabit sexies p. hebd. h. VIII-IX.

FRIDERICUS ERN. GUIL. STEUDENER, Dr.

I. Gratis *de microscopii usu* disseret d. Merc. h. VIII-IX.

II. Privatim *anatomiam pathologicam generalem* docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. VIII-IX.

MAURITIUS KOEPPE, Dr.

Privatim *scholas clinicas psychiatricas* moderari perget bis p. hebd.

ERNESTUS KOHLSCHUETTER, Dr.

I. Gratis *de cholera asiatica* disseret d. Sat. h. V-VI.

II. Privatim *exercitationes diagnosticas* in nosocomio urbano moderabitur d. Mart. Merc. Ven. Sat. h. VII-VIII.

c. Doctorum privatim docentium

GUALTHERUS FRANKE, Dr.

Privatim *artis obstetriciae theoriam* docebit quinquies p. hebd. h. III-IV.

ADALBERTUS IAHN, Dr.

Privatim 1) *de morbis venereis* bis p. hebd. h. III-IV. 2) *de anatomia topographica* disseret ter p. hebd. h. III-IV.

MAXIMILIANUS SCHEDE, Dr.

I. Gratis *vulnera sclopetaria* tractabit d. Ven. h. IV-V.

II. Privatim *artem vincula applicandi* docebit generalem et specialem nec minus exercitationibus practicis in aegrotis praeerit ter p. hebd. h. III-IV.

LUDOVICUS HENRICUS HOLLAENDER, Dr.

I. Gratis *anatomiam, physiologiam et pathologiam oris et dentium* docebit bis p. hebd. h. def.

II. Privatim *demonstrationibus clinicis ad dentium et oris morbos pertinentibus* praeerit d. Mart. Iov. Sat. h. VIII-IX.

HENRICUS FRITSCH, Dr.

I. Gratis *pathologiam et therapiam pelvis angustae* tractabit h. def.

